

Nono argumento adhuc eandem principalem conclusionem probo per decretum quoddam Concilii Lateranensis, sub Leone Papa hujus nominis decimo celebrati, quod Clericis qui Divinum Officium, quod dicere tenebantur Deo persolvere neglexerint, penam quandam infligit, illis aperitissime ad illam sustinendam obligans, etiam sine ulla alia hominis sententia. Et quoniam decreta illius Concilii non facile ab omnibus habentur, decrevi verba illius decreti in medium citare, ut ex illis aperitius quod dicimus omnibus innotescat. In sessione nona prædicti Concilii hoc quod sequitur decretum continetur. Statuimus quoque & ordinamus, quod quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo cessante impedimento, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rara omissionis recitationis, Officii & temporis: sed eos tanquam injuste perceptos in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum elemosinas erogare teneatur. Hactenus verba Concilii. Constat quidem hoc decretum esse penale, quia penam apertam statuit contra illos, qui tam desides sunt, ut post sex menses ab obtento beneficio, Divinum Officium dicere neglexerint. Quod autem obliget transgressoris conscientiam ad penam in illo contentam absque alia judicis sententia, verba ipsius decreti aperitissime ostendunt. Dicit enim, quod non faciat fructus suos. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod non privat illum dominio fructuum semel acquisito: sed dicit illum non acquirere dominium illorum, et si illos perceperit, dicit esse injuste perceptos, & teneri ad illorum restitutionem. Si propter solam omissionem Divini Officii sunt injuste percepti, ergo etiam ante judicis sententiam sunt injuste percepti. Quia sententia judicis non est quæ facit perceptionem fructuum injustam, sed sola Divini Officii omisio.

Decimo & ultimo argumento priorem principalem conclusionem probo per textum capituli finalis de præscriptionibus, libro sexto, ubi textus ille exprimens modos, quibus aliquis bonis suis potest esse privatus, duos solos exprimit inter se diversos, videlicet aut per sententiam, aut ipso jure. Sed si semper esset necessaria sententia judicis ad hoc, ut lex poenalis suam consequeretur intentionem, jam non esset bona & consummata divisio illa modorum, quibus homo bonis suis juste potest esse privatus, videlicet per sententiam, aut ipso jure: sed oporteret tertium addere membrum divisionis ex illis duobus constatum, videlicet ipso jure & per sententiam simul. Immo ut brevius res ageretur, nullam oporteret facere membrorum divisionem. Quia unus solus modus sufficeret ad omnem bonorum privationem designandam, ut puta privatio per sententiam. Quia quantumlibet lex privet bonis suis hominem (ut aliis, quibus infra dicemus, placet) non erit privatus, nisi post legem subsequatur judicis sententia. Præterea, si divisio illa est sufficiens, & omnibus modis consummata, oportet ut vox ipsa, aut res, quæ dividitur, conveniat cuilibet membro illius divisionis seorsum accepto. Cum igitur alterum membrum illius divisionis sit, privari ipso jure, & alterum privari per sententiam, oportet ut quolibet illorum modorum seorsum accepto, sine altero fiat privatio bonorum. Et ita oportet, ut quemadmodum sit privatio per sententiam judicis, & non ipso jure, ita sit etiam aliqua privatio bonorum ipso jure facta, & non per sententiam. Alioqui divisio illa non erit bona & perfecta, cum res ipsa divisa non conveniat cuilibet membro divisionis seorsum accepto. Rursum, ut

divisio aliqua sit bona, & recte formata, oportet membra illius esse omnino inter se sic diversa, & à se invicem separata, ut nunquam eisdem convenire possint. Cum ergo illa duo, videlicet privari bonis suis per sententiam, aut ipso jure, sint membra divisionis, necessarium est ut sint à se invicem sic separata, ut non possint eisdem convenire. Ex quo aperitissime deducitur, ut qui per sententiam debet esse privatus, non sit privatus ipso jure: & e contrario qui privatus est ipso jure, non sit privandus iterum per sententiam. Et inde ulterius necessario consequitur, ut qui ipso jure ad poenam est damnatus, sit ante omnem judicis sententiam damnatus ad illam. Si ante judicis sententiam est damnatus: ergo ad talem damnationem faciendam, nulla judicis sententia requiritur. Alioqui, si talis judicis sententia esset necessaria, non posset ante illam esse damnatus. Nam sine illo, quod est ad rem aliquam vere necessarium, nequaquam res illa consistere potest. Et ex hoc aperitissime convincitur, falsam esse sententiam Thomæ de Vio, Cardinalis Cajetani, qui in sua Summa de Peccatis, titulo, Poena, dicit neminem teneri in foro conscientie ad poenam subeundam, nisi postquam fuerit ad illam damnatus à iudice. Quoniam est judicis sententia (ut aliorum opinio, de qua postea dicemus) esset semper necessaria, ut transgressor legis obligaretur poenam à jure inflictam subire, non tamen oporteret illam esse condemnativam. Quia quod semel actum est, non est opus iterum fieri: & ideo qui semel à jure damnatus est, non est necessarium, ut iterum de eodem crimine damnetur. Alioqui (ut nunc proxime diximus) non esset ipso jure damnatus, si oporteret iterum illum per judicem damnari. Præterea, si hoc ita esset, nulla tunc esset differentia inter legem contrahentem sententiam latam, & illam, quæ continet sententiam ferendam. Quia quocumque modo lex statueretur, semper oporteret expectare sententiam à iudice ferendam, ut lex suam fortiretur effectum. Immo sententia à lege lata esset superflua, & quæ nullum fortiretur effectum: quia illa sine sententia à iudice ferenda nihil efficeret. Sententia autem à iudice ferenda, semper sine sententia à jure lata, plenum fortiretur effectum. Et ideo aliter omnes dicunt, quod quamvis talis judicis sententia esset necessaria, satis esset illam esse declarativam criminis commisi, hoc est, talem esse sententiam, ut per illam iudex declaret hominem commisisse crimen illud, propter quod est à jure poena inflicta, absque hoc, quod condemnet illum ad poenam, ad quam est ipso jure damnatus. Quia criminis declaratione data, sine ulteriori judicis damnatione erit ipso facto damnatus ad illam. Et juxta hunc modum teneant suam opinionem alii Theologi, & juris humani periti, Canonistæ videlicet & Legistæ qui docent neminem ante judicis sententiam obligari ad poenam ipso jure inflictam. Felinus, in cap. Rodolphus, de Rescriptis, numero 35, hoc aperte docet, & multorum testimonio confirmat, sic inquit: declaratoria sententia requiritur in poenis ipso jure incuris, per cap. Cum secundum leges, de Hæreticis, libro sexto. Et non requiritur quod iudex per sententiam puniat, sed satis est quod pronunciet delictum commissum: poena autem sequitur à jure. Bartholus in l. Ejus qui delatorem, ad finem, ff. de Jure fisci. Pro quo vide Joannem Andream, in cap. 1. de Homicidio, lib. 6. quem refert ibi Dominicus in §. finali, ubi dicit, quod ita debent intelligi omnia jura Canonica & civilia, quæ dicunt ipso jure, aut ipso facto aliquem puniri confiscatione bonorum, vel alia poena, ut scilicet sufficiat illum pronuntiare, & declarare illius criminis cul-

pabilem, & locus erit poenis juris, etiam si sententia non exprimitur. Et ita intelligit dictum cap. de Homicidio, & dictum cap. Cum secundum leges, Hæc Felinus. Et Baldus, in cap. 1. de Feudo sine culpa non amittendo, eandem docet sententiam. Dicunt ergo omnes isti, sententiam judicis requiri, non ut transgressor legis damnetur ad poenam, ad quam jam erat ipso jure damnatus, sed ut per talem sententiam declarativam criminis constet aliis talem hominem, de quo agitur, commisisse crimen illud, cui à jure est talis poena inflicta. Hanc tamen sententiam declarativam criminis commissi ego non puto semper esse necessariam: quoniam (ut multis argumentis jam probavi) multæ sunt leges & constitutiones poenales, quæ absque alia judicis sententia obligant earum transgressores ad subeundam poenam in illis contentas & decretas. Et præter omnia illa argumenta occurrunt mihi nunc aliud fortissimum, quod vim, & robur capit ex ipsa ratione propter quam dicunt esse necessariam sententiam declarativam criminis commissi. Nam hæc sententia ideo dicitur esse necessaria, ut constet de crimine commisso, & ideo omnes illi præter Cajetanum vocant illam declarativam criminis, & non condemnativam. Ex quo aperte colligitur, ut propter alios, quibus oportet crimen esse notum, sit necessaria talis sententia criminis declarativa, non propter ipsum peccatorem, aut legis transgressorem. Quia est alii ante talem sententiam possent merito de crimine transgressoris dubitare, ipse tamen transgressor ante talem judicis sententiam optime novit de tale crimine commissi, pro quo talis est poena à jure inflicta: ergo ante talem judicis sententiam erit obligatus in conscientia ad poenam ad quam est ipso jure damnatus. Collectio ista est manifesta, quia talis sententia, per quam declaratur crimen fuisse commissum, nihil circa ipsum reum operatur, sed solum circa alios, qui ex poena inflicta aliquod commodum, aut damnum suscipere possent. Quo fit, ut si ipso post datam à iudice sententiam, quæ declarat crimen fuisse commissum, reus obligatur in conscientia ad poenam sustinendam, etiam obligetur ante talem sententiam: cum illa nihil profus circa ipsum reum agat. Pro foro exteriori necessariam esse foret aliquam judicis sententiam, ut videlicet alius præter ipsum reum exequatur in eodem reo illam damnationis sententiam à jure contra illum datam. Pro foro autem interiori, in quo ipsemet reus exequatur, aut sustinet in se ipso sententiam contra illum à jure latam, firmissime teneo, nullam esse necessariam judicis sententiam. Ratio discriminis est manifesta, per id quod habetur in primo Regum: *Homines vident ea quæ foris patent; Deus autem intuetur cor.* Quia igitur homines nesciunt ea quæ in corde latent, aut quæ extra cor in occulto, & sine ullo teste sunt, oportet ut aliunde de transgressoris crimine illis constet, ut sententiam à jure contra eum latam alii in illo justè exequi possint. Alioqui sæpe contingeret, ut odio, aut cupiditate sollicitante, ex modica & levi criminis suspitione execratio poenæ contra innocentem & inculpatum fieret. Ut autem hoc non contingeret, optime in aliquibus casibus provide-runt jura, ut poenam, quamvis à jure inflictam, nullus exequatur in reo, nisi prius de crimine illius per sententiam legitimi judicis constiterit. Sic enim decretum est in cap. Cum secundum leges, §. Confiscationis, de Hæreticis, libro sexto. In illo enim loco, Papa postquam statuerat hæreticum ipso jure esse omnibus bonis suis privatum, & bona illius esse fisco applicata, prohibet fisco ne bona hæretici apprehendat, antequam ille per competentem judicem sit de crimine hæresis damnatus. Quæ sententia non

ideo censetur esse necessaria, ut hæreticus damnetur per illam ad poenam privationis bonorum, sed ideo solum, ut aliis constet de crimine, & sic dignus appareat cui merito poena per legem statuta sit infligenda. Propter quod recte sensisse mihi videtur Dominicus de Sancto Geminiano, qui super prædictum cap. Cum secundum leges, in §. Confiscationis, dicit hæc verba: Nota quod super facto, in quo imponitur poena ipso jure, requiritur declaratio antequam executio fiat: quod tamen intellige, quando factum non est notorium. Hæc ille. Et hæc Dominici verba citat & laudat Felinus, in cap. Rodolphus, de Rescriptis, numero 37. Et in illo dicit, Cap. Cum secundum leges, non habere locum quando crimen est notorium, quia tunc dicit non esse opus declaratione. Et citat multos alios Doctores, qui eandem tenent sententiam. Et in hoc casu, quando scilicet crimen est notorium, admonet intelligendam esse glossam in cap. Commissa, in verbo Justo impedimento, de Election. lib. 6. dicentem, quod in casu Cap. Licet canon, eodem titulo, potest callator conferre beneficium ipso jure vacans, absque alia pronuntiatione super privatione incurta. Quia illa poena privationis (ut ait) est notorie incurta. Et in cap. Canonum statuta, de Constitution. numero 42. docet multo aperitius eandem sententiam. In illis verbis, quæ nunc ex Dominico citavimus, duo potissimum sunt annotanda. Primo quidem annotare oportet, declarationem criminis esse necessariam, non autem condemnationem ad poenam, prout Cajetanum male dixisse jam supra retulimus. Alterum, quod valde annotare oportet, est, quod quando factum est notorium, non est necessaria talis judicis sententia. Per quæ verba satis aperte exprimitur ad hoc solum esse necessariam judicis sententiam, ut per illam de crimine constet, quod forte erat sine tali sententia aliis ignotum. Nam ob hanc causam censet Dominicus non esse necessariam talis judicis sententiam quando factum est notorium, quia tunc superfluit illa sententia, quum jam sine illa constet, crimen esse perpetratum. Et hanc eandem sententiam, quamvis non ita aperte sicut Dominicus, docet Baldus in l. Jubemus, §. Sane, C. de Sacrosanct. Eccl. ubi hæc verba refert: Ubi non requiritur sententia dispositive, si tamen factum re-vocatur in dubium, requiritur sententia declaratoria, per l. Ejus qui delatorem, ff. de Jure fisci, & cap. Pro humani, de Homicidio, libro 6. Hæc Baldus. Ex cujus verbis à contrario sensu arguendo, constat illum sentire, quod quando nulla est de crimine dubitatio, sed est omnino notorium, tunc non est necessaria sententia declaratoria. Ita enim declarat mentem Baldi Felinus, in cap. Rodolphus, num. 37. de Rescriptis, in quo loco admonet lectorem, ut advertat litteram Felini esse mendosam in illa impressione, quæ facta est Lugduni, anno Domini 1535. Nam ubi dicit, sentiens, quod si res est in dubio, non sit opus declaratione, debet dicere, si res est indubia, hoc est, si ne dubio, & sine dubitatione. Et juxta hunc modum habentur verba ejusdem Felini, in antiqua impressione, quæ multo est verior. Ex his aperitissime convincitur, nunquam sententiam judicis esse reo necessariam, ad hoc, ut ipse teneatur poenam à jure sibi impostam reddere, quia crimen, quod ipse reus commisit, semper est illi notorium. Et multo magis est illi notorium crimen factum sine ulla judicis sententia, quam potest esse aliis post datam à iudice sententiam, qua declarat crimen fuisse ab illo commissum. Nam ipse reus habet evidentem de suo crimine notitiam, alii autem qui non viderunt, non habent eam post judicis sententiam nisi fidem, quæ multo obscurior



## CAPUT VII.

De aliis quatuor modis, quibus ostenditur legem poenalem non ferendam, sed latam continere sententiam.

Videns prolixam esse hanc rem, quæ inquit de modis omnibus, quibus cognosci potest legem poenalem continere sententiam latam, ne fastidium tanta unius capituli prolixitas præberet lectori, decrevi hanc rem duobus capitulis parti, ita ut utroque illorum quatuor tantum modi explicarentur, & sic res tota duobus capitulis absolveretur. Declaratis igitur quatuor modis in proxime præcedenti capitulo, opus est, ut reliquos quatuor in hoc capitulo explicemus. Quinto modo cognoscitur legem aliquam continere sententiam latam, si in illa ponantur verba per quæ reddatur irrita, & inanis actio, aut passio, quæ in poenam criminis fuerat per ipsam legem interdicta. Ut autem quod dico clarius omnibus innotescat, volo de hac re aliquas canonum constitutiones, aut leges in exemplum proponere. In cap. Statutum, §. ultimo, de Rescriptis, lib. 6. dicitur: Sit ipso jure irritum & inane. In cap. Fundamenta, §. Quod si secus, de Electione, libro 6. habentur hæc verba: Irrita prorsus ex nunc & vacua nuntiamus. In cap. Quorumdam, in fine, eodem titulo & lib. dicitur: Omnino decernimus irritum & inane. In Clementina Pastoralis, in fine, de Sententia & re iudicata, sic dicitur: Declaramus fuisse & esse omnino irritos & inanes. In Clementina 1. de Concessione præbendæ, dicitur: Ex tunc etiam inane decernentes & irritum: & in cap. Quicumque, §. Hæretici, de Hæreticis, lib. 6. habentur hæc verba: Quod si secus actum fuerit, sit irritum & inane. Et idem innuitur in cap. Cum dilectus, de Consuetudine, ubi Papa dicit, iustitia exigente cassasse electionem à suspensio factam. Nam per hæc verba apertissime declarat electionem ab homine suspensio factam, irritam fuisse & inane. In l. Statuimus, in fine, C. de Episcopali auctoritate, dicitur: Ex tunc irritas decernimus & inanes. In his omnibus & aliis similibus legibus & constitutionibus, apertissime per illa verba declaratur sententiam esse latam. Sed quia multæ sunt & variæ voces, quibus leges, aut constitutiones solent declarare irritum esse, aut inane, quod contra legem actum est, ideo omnes illas quas mihi memoria suggererit, hic recensere curavi, & ex illis poterit lector de aliis si quas forte omiserim, facile iudicare. Hæc verba, careat viribus, aut non obtineat vires, aut careat omni robore firmitatis, aut alia similia denotant latam esse sententiam. Talia verba habentur in cap. Ad aures, de Rescriptis, in cap. Decet, §. ultimo, de Immunitate Ecclesiarum, lib. 6. & in Clem. Quia contingit, §. Ut autem, de Religiosis domibus. In his locis, & in omnibus aliis similibus lata habetur sententia, quæ ad sui executionem non requirit aliam iudicis sententiam. Nam si quid competere parti, ad quod tollendum necessaria esset iudicis sententia, non careret omni robore & firmitate, & omnibus viribus. Firmitatem enim aliquam, aut vires aliquas constat habere id, ad quod deiciendum est necessaria iudicis sententia, aut aliquid aliud adiutorium. Felinus, in dicto cap. Rodolphus, postquam dicit prædicta verba continere sententiam latam, hoc dictum per sequentia verba temperat. Nisi proferretur (inquit) in materia, in qua per alia iura esset declaratum, quod non irritaretur actus ipso jure, puta in litteris ad lites, in quibus est declaratum, quod

surreptio non vitiet ipso jure, ut habuimus supra cap. Ad auctoritatem. Tunc si qua iura dicant, viribus careant, intelligitur ope exceptionis: & ita loquitur cap. Cæterum, in verbo, Nullam juris firmitatem obtineant. Hæc Felinus. In illis tamen verbis, videlicet, careat viribus, aut roboris firmitate, hoc annotare oportet, quod si illa verba vim latæ sententiæ continere dicimus, non ideo solum hoc ita esse credimus, quia verba hæc, videlicet vires, aut robur, aut firmitas, ponuntur post verbum careat. Nam licet nullum horum verborum illic apponatur, sed sola verba denotantia rem qua quis privari debet, ponantur post hoc verbum careat, sententia lata per talia verba declaratur. Ut gratia exempli, si lex dicat: Careat omni privilegio, omni jure, aut actione, aut commodo, aut honore, aut dominio. In omnibus his verbis declaratur esse sententia lata. Dominicus de Sancto Geminiano, in cap. 1. de Clericis conjugatis, lib. 6. dicit, quod hoc verbum careat, totalem denotat privationem, per notata per glossam in Clementina. In plerisque de Electione. Et merito ita dicit, quoniam hoc verbum careo, sicut quodlibet aliud privationem significans, in quocumque tempore ponatur, habet latentem vim negationis inclusam. Et ob hanc causam potestatem signi universalis, & propterea ditribuere (sic enim illi loquuntur) nomen quod ab aliquo illorum verborum regitur. Et ita docent illi idem esse, si quis dicat, careat viribus, ac si diceret, careat omnibus viribus, aut si dicat, omnino careat viribus. Et inde constat superfluas esse disputationes, quas Jurisperiti facere solent, de hujusmodi dictionibus, prorsus, penitus, omnino. Quoniam nulla istarum dictionum ponitur in aliqua lege ad irrogandum poenam, nisi in illa ponatur negatio aperta, aut verbum quod negationem in se latentem continet. Idem igitur est dicere careat, aut omnino careat, aut prorsus careat, aut penitus careat. Nam in cap. 1. de Schismaticis & Ordinais ab eis, habentur hæc verba: Qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per dictos Schismaticos acceperint, careant impertratis. In quibus verbis sententia exprimitur lata, quamvis non ponatur hæc dicitio omnino, aut prorsus. Et idem per omnia dicendum erit, si illæ dictiones jungantur cum aliis verbis privationem significantibus, ut sunt, privari, spoliari. Hæc enim verba, & si quæ sunt alia illis similia, idem prorsus significant per se posita, ac si illis jungantur illæ prædictæ dictiones quæ solent esse universalitatis signa. Ubi autem totalis est privatio, necesse est privationem ipso jure induci: quia qui totum dicit, nihil excludit. Ex quo aperte deducitur, canones sequentes latam continere sententiam. Cap. Quisquis, de Electione, ubi ait, electionis commodo careat, Cap. Ne pro defectu, eodem titulo, in verbis quibus ait: Eligendi potestatis careant ea vice: & continuo sequitur, ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proxime præfatus dignoscitur devolvatur. Per quæ posteriora verba aperte declaratur priora illa verba, eligendi potestate careant, latam continere sententiam. Audio esse aliquos Jurisperitos, qui docent contrarium, ut puta Hostiensis in cap. Novit, de his quæ fiunt à prælato: ubi tenet contra glossam ibi: & idem in cap. ultimo, de Rescriptis: & Baldus, in eodem cap. qui hæc verba illius capituli, omnimodo careant, sic exponunt & interpretantur, sicut per sententiam. Ad hoc autem dicendum hæc ratio persuadentur, quod sæpe cum hoc verbo careat, ponuntur aliæ dictiones, sententiam latam declarantes, quas non esset opus addere, si illud verbum

se solo sufficeret latam exprimere sententiam. Nam in cap. 2. de Btate & Qualitate, dicitur omnino viribus careat: & in cap. 1. de Postulatione prælatorum, lib. 6. ponuntur eadem verba: & in cap. 1. de Vita & honestate Clericorum, ponuntur hæc verba: Ipso jure careant. Non autem fuisse necessarium dicere, Ipso jure, si illud verbum careant, satis esset per se solum ad latam exprimendam sententiam. Sed revera (ut ingenue loquar) levissimum est hoc argumentum, & indignum, ut propter illud tales & tanti viri moveri debuissent ad prædictam sententiam asserendam. Nam si hæc ratio alicujus esset momenti, oporteret etiam propter illam dicere has dictiones, non valeat, non dicere sententiam latam, cujus contrarium est concorditer ab omnibus receptum, ut statim dicemus. Consequenter autem pro cap. 1. de Rescriptis, lib. 6. ubi ponuntur hæc verba simul: Ipso jure non valeat. At si hæc verba non valeat (ut illi argumentantur) sola sufficerent latam exprimere sententiam, non fuisse opus addere alia duo verba, videlicet, ipso jure. Sed licet illa verba, aut alia similia quæ aperte latam inducunt sententiam in illo loco, aut quovis alio ponantur, non ideo convincitur, ut reliqua omnia, quæ cum illis junguntur, per se non sufficerent latam declarare sententiam. Nam sæpe multæ tales dictiones simul in eadem lege, aut constitutione junguntur, non quod earum quælibet non sit satis ad efficiendum latam sententiam, sed ut certius & apertius declararetur sententiam esse latam in tali lege, aut constitutione. Hoc enim aperte annotavit glossa in simili alia re, in cap. Licet canon, in principio, de Electione, lib. 6. ubi hæc dicit: Nec fuit hoc propterea superfluum, cum clarius exprimat. Accedit ad hæc quod nunquam videntur duas, aut tres dictiones latæ sententiæ, in eodem textu simul conjungi. Nam in cap. Cum ex eo, in fine, de Electione, lib. 6. ponuntur simul hæc verba: Ex tunc dictam poenam ipso jure se novit incurfuros. In quo verborum contextu, hæc duæ voces ex tunc, & ipso jure, latam sententiam inducunt, etiam si seorsum earum quælibet poneretur. Et in cap. Excommunicamus, §. Crederemus, de Hæreticis, quatuor dictiones, quarum quælibet se sola sufficeret latam exprimere sententiam, simul in eodem verborum contextu junguntur. Sic enim illic dicitur. Ex tunc ipso jure sit factus infamis. Nam præter has dictiones, ex tunc, & ipso jure, de quibus jam diximus, hoc verbum sit, & participium præteriti temporis, factus (ut postea dicemus) latam aperte indicant sententiam. Oportet igitur, si ratio Hostiensis, & Baldi esset efficax, nullam istarum quatuor dictionum, quas nunc memoravimus, esse sufficientem ad latam sententiam exprimendam: quia cum quælibet illarum ponitur alia quæ se sola sufficeret latam ostendere sententiam. Ea igitur ratione qua unam excluderis, alteram quamlibet excludere teneris. Et possunt etiam pro eisdem rei testimonio adduci fere omnes illi textus, quos in principio hujus quinti §. principaliter citavimus. Quia fere in omnibus illis ponuntur, sicut dicitur dictiones simul, quarum quælibet seorsum sufficeret latam inducere sententiam, nec tamen ideo alia superflua, quum ad majorem declarationem sit addita. Nec miretur aliquis quod hoc in humanis litteris accidat, cum idem in divinis litteris sæpissime contingat, in quibus impium esset dicere aliquid esse superfluum. Nam Propheta Regius, de verbis Christi Salvatoris nostri propheticè loquens, dixit: (Psalm. 2.) Et folium ejus non defluet. Quod autem verba idem fere significantia simul in eodem verborum contextu jungantur in sacris lit-

teris, multis testimoniis probari potest. Ecce enim (inquit Propheta, Psalm. 50.) in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. In quo versu constat idem in secunda parte exprimi, quod in priore versus parte dictum fuerat. Et in Psalmo 68. idem Propheta ait: Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. In quo versu, Beato Augustino ita interpretante, secunda pars apertius declarat id, quod in prima parte obscurius fuerat dictum. Nam quod in prima parte appellavit insipientiam, in secunda parte vocavit delicta. Et in illo loco admonet B. Augustinus hoc sæpe in sacris litteris contingere. Nullus ergo admirari debet, si in textibus canonum, aut legum, dicamus, multas aliquando dictiones simul conjungi, quarum quælibet seorsum sufficeret latam inducere sententiam; quia ad certiores & majorem latæ sententiæ declarationem factum est. Hæc igitur occasione oblata, decrevi admonere in genere lectorem, ut nunquam hoc solo argumento moveatur ad dicendum, aliquam dictionem non exprimere sententiam latam, propterea quod cum illa conjungitur alia dicitio, quæ apertissime indicat sententiam latam. Quia multæ tales dictiones (ut nunc diximus) conjunguntur ad majorem rei explanationem. Hæc igitur dictione, tam prolixè declarata, oportet ut ad reliquas similes, quæ actionem ostendunt esse irritam & inane, interpretandas, nostram reducam disputationem, & celerius de his, quæ ad singulas earum pertinent, differam. Hoc verbum valeat, si ponatur cum dictione aliqua generali negativa, quæ illud officiat, sic dicendo: non valeat, aut nullo modo valeat, aut nullatenus valeat, aut nihil valeat, semper denotat sententiam latam. Et hoc verum est, etiam si tale verbum ponatur in futuro tempore, quod alias solet denotare sententiam ferendam, ut cap. 1. hujus secundi libri diximus. Hoc docet glossa in cap. Si cui, in verbo Non valere, de Electione, lib. 6. Et glossæ consentiunt Dominicus, & Philippus Francus, in eodem loco. Et hinc deducitur, sequentes textus continere sententiam latam. In capite, Quia propter, de Electione, sic dicitur: Aliter electio facta non valeat, cap. Quamquam, circa finem, de Usuris, libro sexto, hæc in se continet verba: Testamenta aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure. In Clement. 1. in §. Propter quod, de Hæreticis, ponitur hoc verbum valere, in futuro tempore, sic dicendo: Non valebit, & si fecus præsumptum fuerit, nullum sit, & irritum ipso jure. In l. Si liberis sit de Jure patronatus, dicitur: Ipso jure non valebit. In modo infinitivo ponitur in cap. Ex parte, in fine, de Arbitris, sic dicendo: Penitus non valere. In l. Labeo, ff. de Operis libertorum, dicitur: Ipso jure non valere. Nec opus est plura exempla proferre, quia satis superque sunt, quæ nunc proferimus. In omnibus his & aliis similibus, prout mihi videtur, lata semper exprimitur sententia. Hoc tamen, quod dicimus de his duabus vocibus, non valeat, Felinus, in cap. Rodolphus, de Rescriptis, numero 24. dicit, non esse verum, si illæ voces ponantur propter solemnitatem omisam, quæ potest intervenire post actum, quia tunc (ut ait) non denotat ipso jure, sed per sententiam. Et pro sua sententia citat Bartholum in l. Universalis, C. de Precibus Imperatori offerendis. Quo loco Bartholus (ut ego censo) dicit, quod si lex dicit aliquid non valere, propter aliquod omisum, quod faciendum erat post ipsum actum, illud non vitiat ipso jure. Sed si diceret non valere si quid sit omisum quod in ipso actu fieri debet, vitiat ipso jure. Quæ distinctio mihi valde placet, propterea quod



Collegialis quilibet illius collegii constitutionem illam pro electionibus datam transgrediens, sit sine ulteriori declaratione obligatus in conscientia ad poenam illic taxatam; Rector tamen & alii, ad quos id facere spectat, non sunt obligati in conscientia ad illius poenae executionem, nisi postquam illis de crimine confiteris. Tunc autem solam constare dicitur (ut dicitur in cap. Quasitum, de cohabitatione Clericorum & mulierum) quando fuerit per sententiam damnatus, aut ipse fuerit in iudicio confessus, aut quando tanta fuerit facti evidentia, ut nulla tergiversatione zelari possit. Et idem per omnia sentes de illo qui electus in Rectorem Universitatis Salmanticensis, noluit consentire electioni de se factae; quoniam hic etiam sine ulla alia iudicis sententia est obligatus in conscientia ad poenam in Constitutione Martini Papae decretam. An autem B aliquae tales similes leges, aut Constitutiones in iure civili habeantur, mihi non constat nisi de sola una quam legi in lege ultima, C. Locati, ubi postquam Justinianus Imperator prohibuit militibus conductiones rerum alienarum, statim contra illos qui hanc legem fuerint transgressi, haec verba subnectit: Scituros, quod ex ipso contractu ab initio sine aliquo facto, vel aliqua sententia cadant militia. Ubi glossa declarans haec verba, cadant militia, ait ipso iure. Nec aliam praeter istam legem aut constitutionem in iure civili inveni, in qua manifeste iudicis sententia excludatur. Quis jam tam obstinati animi & atritae frontis erit, ut negare contendat aliquam esse poenalem legem, quae absque aliqua alia iudicis sententia obliget reum ad solvendum poenam in lege contentam? Nam eum lex dicat, quod sine aliquo facto, vel aliqua sententia cadant militia, necessarium est dicere sententiam iudicis non esse necessariam, aut legem illam linguacem & blaterantem esse, cum eam transgressoribus poenam minetur, quam infringere non potest. Sunt multae aliae leges aut Pontificum Constitutiones, quae latent per alia verba non tam manifesta innunt sententiam iudicis non esse necessariam. Nam sunt aliquae dictiones, quibus legislator indicat, ipsam legem esse satis ad executionem poenae per eum statuta, & ex consequenti ostendit aliam iudicis sententiam non esse necessariam. Nam si iudicis sententia esset necessaria, lex ipsa per se non sufficeret ad poenae executionem. Huiusmodi dictiones sunt haec quae sequuntur: Ipso iure, de iure, ipso facto, eo ipso; Auctoritate huius legis; In his omnibus, & aliis similibus dictionibus aperte declaratur, ipsam legem esse satis, ac proinde hominis sententiam non esse necessariam. De hac dictione, Ipso iure, omnes concorditer sentiunt, illam declarare sententiam latam, neque haecenus vidi, aut auctori aliquem qui contrarium doceret. Felinus in dicto cap. Rodericus, num. 24. dicit hanc dictionem firmitatem plenissimam exprimere. Et idem docet glossa in cap. 1. de Rescriptis, lib. 6. Et inde convincitur, hos omnes, quos statim enumerabimus canones continere sententiam laram, cap. Excommunicamus, §. Credentes, de haereticis, cap. Statutum, §. ult. de Rescriptis, lib. 6. cap. Quam sit de electione, eodem lib. cap. Ultimam, de officio delegati, eodem libro, Clementina 1. de Rescriptis. In extravaganti, Suscepti regiminis; & in extravaganti, Execrabilis. In his omnibus sicut constat esse latam sententiam, ita etiam constat non esse necessariam iudicis sententiam ad poenae executionem. Nam si sententia iudicis, aut aliqua aliud a iure esset necessarium, non esset verum id quod lex ait, poenam videlicet, ipso iure esse infringendam. Et idem profus sentiendum est de his dictionibus, Ipso facto: quoniam haec dictiones etiam excludunt hominis sen-

tentiam ad poenae executionem. Nam si homini sententia aut aliquid aliud post crimen commissum restaret faciendum, ut transgressor legis incidere in poenam a lege statutam, tunc falsum esset quod lex ait, poenam ipso facto infringi post crimen commissum. Ad eundem modum sentire oportet de his dictionibus. Et ipso, quoniam eandem habent cum praecedentibus significationem, propter quod Joannes Andreas in cap. Quia saepe, de electione, lib. 6. optime agnoscens harum dictionum significationem, dicit eas significare sine hominis adminiculo. Ex qua declaratione constat, verba illa excludere hominis sententiam. Quid igitur ad haec respondebunt illi, qui dicunt nullam legem poenalem obligare reum ad poenam ante iudicis sententiam? Si ipsa lex in obligatione ad poenam rejicit hominis sententiam, aut lex ipsa falsum dicit, aut reus incidit in poenam ab ipsa lege statutam etiam ante iudicis sententiam. Neque aliud sentire oportet de his dictionibus. Auctoritate nostra, auctoritate huius legis, aut aliis similibus dictionibus. Quoniam omnes istae, & si quae aliae similes sunt, aperitissime indicant, solam legis auctoritatem sufficere ad poenae executionem, ac proinde non esse necessariam iudicis sententiam. Alioqui, si illa esset necessaria, sola legis auctoritas non sufficeret. Et hinc constat sententiam esse latam, in cap. Si quis, quod habetur 2. q. 3. Ubi Papa Gelasius, cuius est ille canon, ait: Si quis contra huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis, intelligat se iacturam infamiae sustinere. Haec Gelasius Papa. Sed glossa in illo cap. dicit ibidem non contineri sententiam latam, sed ferendam; & probat per leg. Athletas, §. Calumniator. ff. ex quibus causis irrogatur infamia. Hoc tamen loco valde fallitur glossa, quia etsi lex illa, Athletas, quam ipsa citat, sententiam solam contineret ferendam, nihil tamen inde probaret. Quoniam Gelasius Papa non dicit se irrogare infamiam auctoritate legis Imperialis, sed auctoritate huius suae sanctionis. Deinde verba, quae Gelasius Papa subjungit, aperte declarant canonem illum sententiam continere latam, sic enim ait: Ut damno pudoris, & aeternitatis dispendio discat sibi alienae verecundiae impune insidiari, saltem de caetero non licere. Haec ille. At, si sententia solum ferenda illic exprimeretur, aliquando posset quis alienae verecundiae impune insidiari. Quoniam posset contingere, ut iudex, ad quem spectaret contra insidiantem infamiae sententiam proferre, nollet talem sententiam dicere, & tunc qui falso accusaverat, esset impunus. Si vero canonis illius sententiam dicamus esse latam, numquam poterit aliquis alienae verecundiae impune insidiari, quia statim post crimen commissum ipso iure patitur poenam contra illud statutam. Cum igitur per omnes has dictiones iam enumeratas, ut ex illarum significatione constat, hominis sententia rejiciatur, & tota vis & potestas ad poenae executionem tribuatur legi, convincitur inde aperitissime, illas omnes dictiones exprimere sententiam latam, quae obliget in conscientia reum ad poenam absque aliqua iudicis sententia reddendam. Nam sicut iudex, seclusa lege, posset reum ad poenam damnare, & ad illam obligare: ita e contrario potest lex eundem reum ad poenam sine iudice damnare, & ad illam sine ministerio iudicis obligare. Quoniam (ut supra cap. quinto huius secundi libri diximus) non minoris potestatis est circa obligationem jus, quam iudex.

Secundo modo, lex declarat aperitissime se continere sententiam latam, quando ipsa dicit, quod transgressor illius sit obligatus in conscientia ad solvendum poenam

in illa contentam. Haec enim verba tam aperte manifestant legislatoris mentem & intentionem, ut nullus relinquatur iusta dubitationis locus, an ipse voluerit per talem legem obligare in conscientia illius transgressorem ad poenam in illa contentam. Probavimus enim jam cap. 5. huius libri humanam potestatem, sive laica illa sit, sive Ecclesiastica, posse legem poenalem condere, quae obliget in conscientia reum ad poenam. Talem autem potestatem se velle exequi, non potest aperitissime declarare, quam si in lege ab ea condita dicat illius transgressorem esse in conscientia obligatum ad poenam reddendam. De hac re nullum credo haberi exemplum in iure communi, sive canonico, sive civili. Nam multos viros in utroque iure doctissimos, pro hac re consulti, qui omnes concorditer sententia responderunt, nullam talem legem in iure communi haberi, quae aperte dicat illius transgressorem esse obligatum in conscientia ad reddendum poenam in illa expressam. Verum etsi hoc in iure communi non habeatur, in iure tamen Hispano, praesertim Regni Castellae, multae similes habentur leges, & quibus aliquas in exemplum proponam, ut ad instar illarum de omnibus aliis similibus lector censere possit. In libro secundo Ordinationum Regalium, titulo nono, leg. 1. ubi tractatur de premio suorum laborum, quod secretarii Regis accipere possunt ab illis, in quorum utilitatem instrumenta consciunt, legislator statuit poenam contra illos qui plura accipiunt, quam per legem est definitum: & tandem in lege secunda ad praedictorum meliorem observationem haec verba subiungit: Jurent quod observabant ea quae in praecedenti capitulo ordinata sunt, & quod non accipient munera, & quod solvant poenas, si in eas inciderint, ad quas ex tunc eos condemnamus, ita ut sint obligati in foro conscientiae ad solvendum eas, absque hoc quod sint ad illas condemnati. Haec sunt verba legis. Et in eodem libro secundo, tit. 15. praecipit, ut nullus iudex aut Notarius recipiat a litigantibus munera; & contrarium facientibus, imponit graves poenas, & tandem haec verba subiungit: Jurent omnes iudices & Tabelliones aut Notarii, se observaturos has dicitas & Tabelliones, & soluturos poenas praedictas, ad quas ex tunc eos condemnamus, ita ut sint obligati in foro conscientiae ad solvendum eas, absque hoc quod ultra ad eas condemnentur, quamvis crimen eorum sit occultissimum. Haecenus verba legis. In quibus verbis duo potissimum annotare oportet. Primum est, quod haec lex sicut & praecedens dicit, se obligare in conscientia reos ad poenas in illa decretas, absque hoc quod oporteat eos iterum condemnari ad eas. Alterum est, quod dicit se obligare ad tales poenas, quamvis crimen commissum sit occultissimum. Quibus verbis iterum indicavit, se velle excludere aliam iudicis sententiam: quoniam talis dari non potest ab homine circa crimen occultum, quod testibus probari non potest. Et haec duae leges sufficiunt ad testimonium huius, quod in hoc secundo modo sententiae latae diximus. Si quis adhuc tertium desiderat testimonium, videat in eodem secundo libro, titulo finali, legem finalem. Quae tria testimonia aperitissime convincunt eos qui docent, nullam legem poenalem obligare reum in foro conscientiae ad poenam sine iudicis sententia. Nihil enim aperitius dici potest, quam quomodo dicit obligare in foro conscientiae. Si quis dicat hoc non posse lege humana statui, supra iam probavimus oppositum in cap. 5. huius libri secundi. Quia cum neque lege naturali, neque lege divina sit prohibitum potestati humanae talem legem statuere, convincitur inde humana potestatem posse talem legem statuere, praesertim

cum talis lex (ut supra cap. 4. diximus) multum iure ad observationem legis divinae, & aliarum legum humanarum.

Tertio modo constat, legem aliquam continere sententiam laram, & obligare in conscientia illius transgressorem ad poenam in illa expressam, si lex ipsa decernat, ut nullus ipse legis transgressorem absolvere possit a delicto commissio, donec ille persolvat poenam pro delicto ab ipsa lege impositam. Sed talem legem laica potestas condere non valet. Quia potestas laica, sive Rex, sive Imperator non potest aliquid circa sacramentalem peccatorum absolutionem statuere, augendo, aut minuendo Sacerdotum potestatem circa illam. Non enim Regibus aut Imperatoribus, sed solum Sacerdotibus dictum est. (Joann. 20.) Quorum remisit peccata, remissa sunt: & quorum retinueritis, retenta sunt. Nec etiam possunt Reges aut Imperatores excommunicare, aut interdicere subditos suos. Quia non illis, sed Petro dictum est: (Matth. 18.) Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelo: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelo. Potestas Regum & Imperatorum ideo laica dicitur, quia ad res Ecclesiasticas, quales sunt omnes illae quae ad sacramenta aut fidem Catholicam spectant, non dirigitur, sed ad solas res forenses, quae ad pacificam populi gubernationem pertinent, respicit. Circa res quae pure Ecclesiasticae sunt, inferiores Sacerdotibus sunt Reges & Imperatores. Et in huiusmodi rebus ego intelligo datum esse Regibus superiorem illam ex Sacerdotibus qui erant in Anathoth, cui Dominus dixit: (Hier. 2.) Constituit te super Reges & Regna. Et inde aperitissime constat, Reges aut Imperatores non posse statuere legem, quae Sacerdotibus alicujus peccati absolutionem interdicat. Potestas autem Ecclesiastica hoc potest circa Sacerdotes illi subditos: quia est illorum potestatem, quae a Theologis vocatur potestas ordinis, non potest minuere, potest tamen minuire potestatem, quae ab eisdem dicitur potestas jurisdictionis. Talem igitur potestatem minuendo, efficit, ut qui ante erant subditi alicui Sacerdoti, postea non sint illi subditi. Et inde deducitur, ut superior possit Sacerdoti inferiori interdicere alicujus absolutionem: quia sic interdicens, nihil aliud efficit, nisi quod is qui erat subditus Sacerdoti, non sit circa illud peccatum illi subiectus. Quomodo autem non fuerit illi subiectus, Sacerdos (ut constat) illum absolvere non poterit, quia potestas ad absolvendum utramque in se complectitur potestatem, videlicet ordinis & jurisdictionis. Solus igitur Summus Ecclesiae Pontifex, qui supremam in ea habet potestatem, potest omnibus aliis Sacerdotibus alicujus peccati absolutionem interdicere. Et inde colligitur, ut ille solus possit legem poenalem statuere, quae omni Sacerdoti prohibeat, ut nullus ejusdem legis transgressorem absolvere possit a delicto commissio, donec ille persolvat poenam pro delicto ab ipsa lege impositam. Talis est lex aut constitutio quae habetur in cap. Romana, §. Procuraciones de censibus, lib. 6. In illo enim loco Innocentius Papa, huius nominis quartus, illius Constitutionis conditor, modum visitationis tribuens Archiepiscopo juxta quem suam Diocesim, & alias Episcoporum suffraganeorum visitare debet, monet illum, ut caveat, ne ipse vel quisquam suorum aliquid munus, quodcumque sit, & qualitercumque offeratur, praesumat recipere, ut non quae sua sunt videatur quaerere, sed quae Jesu Christi. Qua monitione & praecipio praemisso, tandem contra illius transgressorem poenam imponens, haec verba subnectit: Quod si fuerit contra praesumptum recipiens,



piens, maledictionem incurrat, à qua numquam, nisi duplum restituat, liberetur. Hæc ibi Innocentius. In quibus verbis duo potissimum annotare oportet. Primum est, quod ait illius Constitutionis transgressorem incurere maledictionem. Per quod verbum aperte declarat, Constitutionem illam obligare ad peccatum mortale. Quia nullus incurrit maledictionem nisi per peccatum mortale. Nam qui in gratia exiit, Dei benedictionem secum portat. Quam benedictionem quisquis habuerit, illa permanente, maledictionem incurere non potest. Alterum est, quod à tali maledictione absolvi non potest, nisi duplum restituat. Et in hoc verbo Constitutio illa aperte ostendit, se esse poenalem, & latam continere sententiam, quæ in foro conscientie obliget reum ad poenam in illa expressam. Nam quisquis in peccato à maledictione exiit, obligatus est in conscientia, ut aliquando sui peccati abolitionem petat. Talem autem abolitionem (ut prædicta Constitutio docet) impetrare non potest, nisi duplum restituat; ergo obligatus est in conscientia ad duplum solvendum. Et certe hæc Constitutio perfecte convincit falsam esse opinionem illorum, qui dicunt nullam legem poenalem obligare in conscientia reum ad poenam ante iudicis sententiam. Quoniam hæc Constitutio tam aperte probat contrarium, ut nullum vel mediocri responsioni relinquat locum. Et ne hæc sola in hoc genere reputetur, aliquas alias similes Constitutiones profero à Martino Papa hujus nominis 5. editas, inter illas Constitutiones quas pro Universitate studii Salmanticensis statuit. Nam in cap. 18. illarum Constitutionum, ubi de examine Bacalariorum differt, postquam præcipit, ut Bacalarium examinandum interrogetur sub juramento an aliquid dederit, aut promiserit ratione sui examinis, tandem hæc verba subjungit, ubi Bacalarium examinandum interrogandus à scholastico sub juramento, responderit se aliquid dedisse, vel promississe ratione, vel ex causa licentia obtinenda, seu alias quoquo modo constare poterit scholasticus ipsum repellat penitus, ut indignum ab examine præfato, & per duos annos ab ingressu examinis, & licentia obtinenda sit suspensus. Quousque Rectori tantum quantum confessus, vel convictus fuerit se promississe, vel dedisse pro dicto examine in Universitatis usibus convertendum solverit, ad dictum examen aliquatenus admittatur. Recipientes etiam duplum ejus quod receperint, restituunt. Alias ipsos sententiam excommunicationis incurere volumus ipso facto, à qua nequeant absolvi, nisi triplum ejus quod receperint, dicto Rectori restituunt similiter in Universitatis usibus convertendum. Hactenus verba Constitutionis Martini Papæ. In quibus duo præcipue sunt annotanda. Primum est, ubi de crimine Bacalarium examinandi loquens, dicit: quod si quovis modo confiterit de crimine, sit suspensus ab ingressu examinis, & licentia obtinenda. Non dicit esse necessarium iudicis sententiam declarantem crimen fuisse perpetratum, sed satis esse dicit, ut quovis modo, sive per confessionem, sive per testes, sive per rei evidentiam de crimine confiter. Alterum annotatione dignum est, quod ut poena per talem Constitutionem imposita plenum sortitur effectum sine aliqua alia iudicis sententia, excommunicationis sententiam ipso facto incurere præcipit illos, qui talem poenam reddere noluerint: & quod ab illa absolvi non possint, nisi triplum ejus quod receperint, restituunt. Tam apertum est hoc pro mea sententia testimonium, ut nihil videam quid respondere possint illi, qui contrariam teneant sententiam. Alteram profero ex eisdem Martini Papæ Constitutionibus huic proxime similem. Nam

in cap. 21. illarum Constitutionum præcipit Papa, ut lector sive magister concubinam publice tenens, ad nullos Doctores seu Magistros actus, quamdiu illam tenuerit, admittatur: & si cathedram cum salario habuerit, cathedram & illius anni salarium amittat. Officialis vero Universitatis officium & illius anni salarium amittat. Licentiatum à receptione Doctoratus sit per duos annos suspensus; Bacalarium ad licentiam obtinendam non admittatur, quamdiu illam tenuerit. Studentibus autem tempus per quod illam tenuerint, non computetur ad gradum Bacalarium assignandum. Et ultra has poenas, tam Bacalarium, quam Licentiatum, quam alii studentes poenam duorum florenorum hospitali ipsius studii applicandorum, pro quolibet mense quo illam tenuerint, Rectori sine quavis remissione solvere teneantur: postquam hæc omnes statuit poenas, hæc quæ sequuntur verba, subjungit: Rectorem vero Scholasticum Doctorem, Magistrum & administratorem Universitatis præfate, qui aliquem contra hujusmodi statuta ad prædictos gradus seu lecturas scientiarum admiserit, receperit, approbaverit, ac pensionem solverit, sententiam excommunicationis incurere volumus ipso facto, à qua absolvi nequeant, donec eorum quilibet decem duplas castellanis Universitari ipsæ numerando persolverit realiter & cum effectu. Et ultra hujusmodi excommunicationis, & decem duplarum poenas administratores contra prohibitionem presentem suspendiatis solvendo veniens, tantum de propriis bonis eidem Universitatis solvat, quantum concubinariis hujusmodi de salario reddiderit, nulla sibi aut alicui ex prædictis remissione aliquatenus profutura. Hæc Marinus Papa in suis Constitutionibus. Tertiam denique profero eisdem Martini Papæ his proximis simillimam Constitutionem. In cap. 3. illarum Constitutionum idem Pontifex statuit, ut nullus Doctor, aut Magister, aut Licentiatum, aut Bacalarium, aut scholaris, aut alijus istorum familiaris possit coram alio iudice sive civiliter, sive criminaliter conveniri, nisi coram Salmanticensi Scholastico. Qua data Constitutione, statim contra transgressores poenam subnectit hujusmodi verbis, sic inquit: Si quis autem presentis Constitutionis & Ordinationis violator exiterit, ipsum poenas statutas in cap. si diligenti, de foro competentis, & 20. florenorum hospitali studii applicandum, etiam si iudex fuerit, incurere volumus ipso facto. Et si requisitus per Rectorem vel alium loco ejus infra 15. dierum spatium solvere malitiose aut negligenter distulerit, ipso facto eum excommunicationis vinculo innodamus, à qua taliter innodatus absolvi non possit, donec prædictam poenam solverit, vel infra breve tempus à Rectore præfato, considerato delinquente, præfigendum, cautionem de solvendo præstiterit sufficientem. Hactenus ex Constitutionibus Martini Papæ. Et de his omnibus Constitutionibus nullus merito dubitare potest, an obligent in conscientia illarum transgressores ad poenas in illis contentas absque aliqua alia iudicis sententia. Quia cum transgressor illarum non possit absolvi à crimine transgressionis, nisi poenam in Constitutione statutam solvat, convincitur inde apertissime, illum teneri in conscientia ad talem poenam solvendam absque alia iudicis sententia. Et ut rem hanc apertius faciamus, ponamus Petrum fecisse contra aliquam prædictarum Constitutionum Martini Papæ, & nunquam iudicem declarasse, nec in posterum declaraturum, quod Petrus Papæ Constitutionem fuerit transgressus. In tali eventu dico Petrum teneri in conscientia ad poenam Constitutionis solvendam. Nam Petrus teneri in conscientia sui criminis abolitionem impetrare: ergo teneri

in

in conscientia poenam in Constitutione contentam solvere. Consequenter inde apertissime constat esse bona, quod (ut ipsamet Constitutio præcipit) non potest talem peccati abolitionem obtinere, nisi prius poenam à constitutione decretam solvat. Et certe ego non video quo pacto huic argumento respondere possint, qui dicunt nullam legem poenalem obligare in foro conscientie ad poenam in illa contentam, nisi forte dicant Martinum Papam non potuisse tales obligationes ad poenas imponere, & ita errasse cum tales constitutiones condidit. Hoc autem dicere, ut firmissime credo vehementer formidabunt, hi qui nobis contrariam in hac parte teneant sententiam. Quoniam hi omnes ex eorum numero sunt, qui Papæ potestatem potius augere, quam minuire semper contendunt.

Quarto modo lex poenalis offendit aperte se continere sententiam latam, & per consequens obligantem in foro conscientie ad poenam in illa statutam, si illis verbis presentis temporis & indicativi modi utatur, quibus utitur iudex cum sententiam contra reum profert, & condemnandum illum ad poenam. Iudex sententiam profertens contra reum, hæc aut similia verba profert. Excommunico, interdico, suspendo, privo, relego, damno, condemno te, ut præcipio tibi, ut hoc, vel illud facias. Si igitur lex his verbis, aut aliis similibus presentis temporis indicativi modi utatur, sine dubio illo latam continebit sententiam obligantem in conscientia reum ad poenam in illa contentam. Si enim lex sic dicat: Excommunicamus, aut suspendimus, aut privamus dominio bonorum suorum, aut damnamus ad talem poenam multam eum qui hoc, aut illud crimen commiserit, sententia est ab ipsa lege lata. Nam si tali lege stante adhuc necessaria esset sententia iudicis quæ reum condemnaret, ut Cajetanus in sua Summa dicit, sequeretur falsum esse quod ipsa lex dicit. Nam falsum esset quod lex privat, aut damnat reum ante iudicis sententiam, si illa semper esset necessaria ad rei condemnationem. Ut igitur omnem fallitiam à lege propellamus, oportet ut rem ita fieri dicamus, quemadmodum lex ipsa exprimit. Lege ergo sic dicente: Excommunicamus eum qui manus violentas in Clericum iniecerit, quisquis talem manus in Clericum iniecerit, erit statim per legem sententiam excommunicatus. Si lex sic diceret, privamus dominio bonorum suorum eum qui hominem occiderit, quisquis hominem occiderit, erit eo ipso per legis sententiam privatus dominio bonorum suorum, absque aliqua alia iudicis sententia. Talibus verbis utitur Papa in capitulo, Excommunicamus primo & secundo, de Hæreticis. Nam in primo capitulo sic ait: Excommunicamus, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam orthodoxam & Catholicam fidem, quam superius exposuimus, condemnantes hæreticos universos quibuscumque nominibus censeantur. In alio autem capitulo, hæc quæ sequuntur verba continentur. Excommunicamus & anathematizamus universos hæreticos, &c. Quæ istorum duorum capitulorum verba (ut omnes concorditer docent) apertissime sententiam profertur à jure latam, & non à iudice ferendam. Similia verba sunt quibus utitur Papa in cap. Vel non, de Temporibus ordinationum, ubi loquens de puero tredecim annorum à quodam Episcopo in Diaconum ordinatum, hæc ait: Quem ab officio Diaconatus, usque ad ætatem legitimam in injuriam suspendimus ordinantis. Hæc verba (ut notum est) sententiam continent à jure latam. Et inde sequitur, ut qui infra ætatem debitam ordinatus est, sicut peccavit mor-

Tom. II.

taliter, ordinem recipiens, ita etiam eundem ordinem exercens, quia ab illius ordinis exercitio, ipso jure suspensus est. In cap. Dilectus, eodem titulo; similibus etiam verbis utitur Papa contra Episcopum, qui tres sacros ordines eodem die cuidam Canonico concessit. Sic enim ait: Ipsum tandiu ad ordinandi suspendimus potestate, donec nostram meruerit gratiam obtinere. Quæ verba manifeste sententiam exprimunt à jure latam. Sed de his verbis declaramus, decernimus, definimus, censemus, judicamus, & aliis similibus verbis, quæ potius actum declarationis, quam damnationis significant, merito dubitari potest, an lex quæ talibus verbis utitur, sententiam contineat latam, an à iudice ferendam. De qua re, prout ego sentio, non potest certa & universalis regula dari, sed inspiciendæ sunt aliæ voces quæ post talia verba subiunguntur, & juxta illorum qualitatem & conditionem erit de talibus verbis censendum. Si post talia verba actum declarationis, aut definitionis significantia, sequatur verbum presentis, aut participium præteriti temporis importans poenam aliquam, tunc sine dubio talis lex dicitur continere sententiam latam. Ut, gratia exempli, si lex, aut constitutio dicat: Qui hoc, aut illud crimen commiserit, declaramus, aut censemus esse eum excommunicatum, aut amississe dominium bonorum suorum, aut esse infamem, lex erit quæ latam contineat sententiam. Immo per talia verba videtur lex excludere iudicis sententiam, tamquam non necessariam. Nam quod semel à lege declaratum, aut definitum est, non est opus iterum per hominem declarari aut definiri. Talibus verbis utitur Papa, in cap. Novit, de his quæ sunt à prælato, ubi scribens Hierosolymitano Patriarchæ, qui sine consensu sui capituli, Abbates, & Abbatissas, & alias Ecclesiasticas personas instituebat & destituebat, sic ait: Nos enim tales institutiones & destitutiones carere decernimus robore firmitatis. In quibus verbis (ut glossa ibidem docet) sententia à jure lata manifestatur, propter id quod ait, carere decernimus. Et similia verba ponuntur in cap. 1. de Schismaticis & Ordinatis ab eis. Ad hoc caput referri possunt iudicis illæ per quas lex præcipit iudici, ut declaret reum incurrisse in poenam, sic dicendo: Denuntia talem esse excommunicatum, aut declara illum esse suspensum, aut declara illum esse privatum dominio bonorum suorum. Nam quum per illa verba lex committat iudici non sententiam condemnationis, sed executionem, aut declarationem sententia, satis aperte indicat ante talem iudicis declarationem sententiam esse jam à jure latam. Alias iudex sententia declarationem profertens, falsum diceret declarando excommunicatum, aut suspensum eum, qui non esset excommunicatus, neque suspensus. De hac re habemus exemplum in capitulo, Tam litteris, de Testibus, ubi licet illi, de quibus textus loquitur, non essent per alium jus suspensi, tamen Papa committendo executionem suspensionis, per illa verba aperte indicat se suspendere illos. Sic enim ait: Ab officio & beneficio denuntietis esse suspensos, donec mereantur nostram indulgentiam obtinere. In quibus verbis, cum non præcipit ut suspendat, sed ut denuntiet esse suspensos, constat latam esse sententiam.

Ttt

CA-



est notitia, qua credunt iudici afferenti tale crimen fuisse ab illo commissum. Si casus aliquis offerretur tam perplexus, ut reus ipse, licet sciat se rem talem perpetrasse, merito tamen dabitari possit, an res ab eo gesta mereatur pœnam propter tale crimen à jure impositam, tunc etiam ego dicetem, reum non teneri in foro conscientie ad pœnam illam, donec illi constet, aut per iudicis sententiam, aut per doctrinam virorum doctorum, quibus merito credere debeat, crimen à se commissum tale esse, quale oportebat, ut in pœnam à jure iniictam incideret.

Præter hæc omnia argumenta, occurrit mihi nunc aliud, quod, ut ego censeo, vehementissime urget. Ecclesia potest statuere legem, per quam præcipitur facere aliquid sub pœna peccati mortalis, ergo potest statuere legem, quæ sub pœna peccati mortalis præcipitur reo reddere pœnam aliquam. Assumptum est manifestum ex his, quæ superius libro primo, capite quinto, diximus. Consequenter quæ superius manifesta, quod non est ratio aliqua, propter quam Ecclesia possit sub obligatione peccati mortalis præcipere unum magis quam alterum. Et ut rem hæc apertius faciam, exempla aliqua proponam. Ecclesia obligat quemlibet fidelem sub obligatione peccati mortalis ad audiendum Missam die Dominico. Si placeret Ecclesie statuere, ut non audiens Missam teneretur sub obligatione peccati mortalis reddere certam pecunie quantitatem pauperibus, quis dicere audebit, Ecclesiam non posse statuere legem sic obligantem ad pœnam? Si quis autem tam pertinax est, ut non vereatur negare Ecclesiam posse talem legem condere, reddat causam, cur potest præcipere sub obligatione peccati mortalis audire Missam, & non potest præcipere sub eadem obligatione reddere pecuniam? Aliud exemplum multo apertius. Rex ob aliquam justam causam potest statuere legem, quæ obliget subditos in conscientia ad reddendum aliquam pecuniam in tributo: ergo potest statuere legem, quæ obliget in conscientia eos, qui tale tributum non solverint, ad duplam pecuniam reddendam. Assumptum est notissimum, præsertim ex his, quæ superius lib. 1. cap. 5. diximus. Consequenter est manifesta, quia utrobique est redditio pecunie, & non est ratio justa, quare possit unum magis quam alterum statuere.

Ex his omnibus argumentis hæcenus per me adductis, satis aperte (ut ego existimo) convincitur verum esse id, quod à principio hujus capituli dixi, Ecclesiam posse condere legem pœnalem obligantem reum in foro conscientie, absque aliqua iudicis sententia ad pœnam in illa statutam. Nec sola Ecclesia, id est, prælatus Ecclesiasticus, hoc potest, sed etiam Imperator, aut Rex, aut quævis alia potestas laica. Nam (ut alia nunc omitram exempla) lex, quæ propter præscriptionem tollit ab altero alicujus rei dominium, & tribuit alteri, non solum à Pontificibus, sed etiam à Cæsaribus & Regibus instituta est, quamvis non ita exacte & ad justitiam solum redacta sit in hac parte lex Cæsarea, quemadmodum Pontificia. Leges autem Cæsareæ, præsertim quæ de rebus gravibus decernunt, possunt etiam sicut leges Pontificum (ut lib. 1. cap. 5. probavi) subditorum conscientias ad peccatum mortale obligare. Nam beatus Paulus, de obedientia superioribus præstantia differens, non solum de Ecclesiastica potestate, sed de omni potestate absolute loquutus est, sic dicens: (Rom. 13.) Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem accipiunt. Et paucis interpositis, de sola potestate seculari loquens, ait: Dei

entim minister est, vindicæ in iram ei, qui malum agit. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ex quibus aperte constat, omnem potestatem, tam secularem, quam Ecclesiasticam, posse condere legem obligantem ad culpam mortalem. Omnis igitur humana potestas, sive secularis illa sit, sive Ecclesiastica, potest condere legem pœnalem obligantem in foro conscientie illius transgressorem ad pœnam, absque aliqua iudicis sententia reddendam.

C. A. P. U. T. V. I. De quatuor modis, quibus potest cognosci lex, quæ sententiam obligantem continet. laram.

EX his omnibus, quæ in duobus proximè præcedentibus capitulis per me sufficiens (ut ego censeo) probata sunt, satis aperte constat, humanam potestatem, sive laica illa sit, sive Ecclesiastica, posse condere legem obligantem ad pœnam in foro conscientie, absque aliqua iudicis sententia subeundam. Nunc igitur, ut rem absolutam & plene consummatam redderem, opus esse censui, ut declararem, quomodo cognosci possit talis lex, & ab aliis, quæ talem obligationem non continent plene dicentur. Quotquot sentiunt legem humanam posse obligare ad pœnam sine ulteriori iudicis sententia, dicunt, omnem legem, sive constitutionem, quæ sententiam in se continet laram, obligare illum transgressorem ad pœnam in illa contentam, absque aliqua alia iudicis sententia. Hæc autem universalis regula, est semper vera esse, quod an verum sit postea inquiremus) per illam tamen id, quod quaeritur, non elucescit, sed manet adhuc æque ignotum, ut ante. Quia quomodo possit cognosci lex, quæ sententiam à se laram continet, res est non parvi negotii, & de qua etiam viri docti aliquando dubitant, & de qua inter eos omnes non convenit, sed alii aliter sentiunt. Quæ opinionum diversitas oritur ex multa verborum varietate, quibus legislatores utuntur, quum tales leges pœnales condunt. Nam aliquando pœnae inflictionem exprimunt per verbum imperativi modi, aliquando per verbum modi indicativi, & in modo indicativo, aliquando per verbum temporis præsentis. Iterum per verbum præteriti, alias per verbum futuri. Aliquando sine verbo actionem, aut passionem denotante, sed per verbum substantivum adjecto aliquo participio loquuntur. Aliquando diversa adverbia eisdem verbis adiungunt, ut per illa suam exprimant intentionem. Hæc autem tanta verborum varietas non parum solet legitibus, & audientibus difficultatem præbere. De qua re, licet copiose, confusissime tamen tractat Felinus in cap. Rodolphus, de Rescriptis, in §. ultimo, Quia textus. Post Felinum multo prolixius quam ille, de eadem re differit, vir in utroque jure doctissimus Andreas Tiraqueillus in fertilissimis illis Commentariis, quæ fecit super legem, Si unquam, C. de Revocandis donationibus. Sed licet illa, quæ de hac re vit ille doctissimus differuit, vera sint & docte tractata, multa tamen omisit, quæ mea sententia erant ad consummationem negotii, quod susceperat declarandum necessaria. Deinde, ea quæ dicit, tanta verborum ambage & tanta citationum multitudinè plena sunt, ut fastidium legitibus, præsertim Theologis, facile præbeant: & regulæ, quas pro hujus rei cognitione statuit, tot patientur exceptiones, vel (ut illi loquuntur) fallentias, ut plures sint, casus, in quibus regulæ fallunt, quam in quibus certitudinem habent.

beant. Ob hanc causam ego tantam fallentiarum multitudinem, quæ memoriæ valde perturbat, evitare cupiens, breviores & certiores regulas excogitavi, quæ multo minus patientur exceptiones, & sic per compendium incedens, alios ad quæsum quæsum citius perducam. Alios etiam modos, quibus semper sententia lata apertissime declaratur, ab Andrea Tiraqueillo omisos, declarabo. Primus & certissimus modus, quo apertissime declaratur, legem pœnalem continere sententiam laram, est: Si postquam expressis pœnam pro tali crimine intelligendam, dicat, quod qui crimen, pro quo talis imponitur pœna, commiserit, incurrat illam sine aliqua alia sententia. Per hæc enim verba, aut alia similia, quibus legislator declarat ad pœnam per illam legem statutæ executionem, non requiri aliam hominis sententiam &c. satis aperte docet, legem illam continere sententiam laram, & quæ se sola obliget reum ad pœnam in conscientia solvendam, aut sustinendam. Hujusmodi verbus usus est Martinus Papa, hujus nominis quintus, in Constitutionibus, quas edidit pro Universitate studii Salmanticensis. Nam in cap. 1. ubi tractat de Rectore ejusdem Universitatis, dicit, quod electus in Rectorem requiratur, ut electionem acceptare velit, & tandem hæc verba subjungit: Quod si facere neglexerit, omiserit, vel recusaverit quoquomodo, omni commodo & honore Universitatis privatus, absque alia declaratione censetur, & per scholas ut perjurus, excommunicatus, & privatus, publice nuntiatur. Et hoc idem in omnibus & per omnia fiat de Consiliariis & aliis Officialibus dicti studii, si officium, ad quæ electi fuerint, recusaverint, neglexerint, & omiserint infra tempus eis assignandum acceptare, aut etiam si absentaverint, vel absconderint, ne acceptent. Hæcenus verba Constitutionis Martini Papæ. In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod præcipit, ut privatus absque alia declaratione censetur. Per quæ verba satis aperte declaratur, Constitutionem illam continere sententiam laram, & obligare in conscientia illius transgressorem ad pœnam in illa contentam. Eisdem verbis usus est Paulus Papa, hujus nominis secundus, in quadam sua Extravaganti Decretali, quæ incipit Ambitiosa, ubi postquam præcipit, ut res Ecclesiæ sine licentia Romani Pontificis non alienentur, & Episcopi & Abbatibus contrarium facientibus ingressum Ecclesiæ prohibuit, tandem aliis prælati contra illam Constitutionem facientibus pœnam imponens, hæc verba ait: Inferiores vero Prælati, Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores, beneficia vel administrationem quomodolibet obinentes, prioribus, præposituris, præpositibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura & sine cura, secularibus & regularibus beneficiis, quorum res & bona alienantur dumtaxat, ipso facto privati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea privata fuerint) libere de jure conferri, nisi alias dispositioni Sedis Apostolicæ sint specialiter ac generaliter reservata. Hæcenus verba illius Decretalis. In quibus verbis id solum advertere oportet, quod ait, absque declaratione aliqua vacare censeantur. Et quia verba ista tam aperte excludunt sententiam declarationem, ut nihil illis possit opponi, ideo summa sylvestrina, in titulo Emphiteosis, questione secunda, postquam dixerat semper esse necessariam iudicis sententiam declarantem crimen esse commissum, hæc tandem verba ait: Ubi autem lex vel statutum

privaret aliquem bonis, vel aliter ipso facto, non requiritur declarativa sententia. Et sic fecit Paulus secundus in Extravaganti, quæ incipit Ambitiosa. Hæc summa sylvestrina. Similia verba & multo fortiora habentur in quadam concessione Adriani Papæ, hujus nominis sexti, facta insigni, & multoties doctissimorum virorum nutritori collegio Sancti Bartholomæi, quod est in Universitate Salmanticensi. Nam viri docti & virtutis amatores & cupidi, qui tunc in illo collegio erant, optantes ut electio Rectoris ejusdem collegii, quæ quolibet anno in festo Sancti Lucae fieri solet, & electiones aliorum collegiarum, qui admittendi sunt ad illud collegium, libere fierent, ita ut nullus alteri persuaderet, aut alterum (ut verbis illorum loquar) subornaret, sed quique apud se ipsum solum de electione faciendâ deliberaret, petierunt à summo Pontifice Adriano, ut hujusmodi electiones libere (ut dictam est) fieri sub certa pœna præciperet, ad quam sine aliqua alia ulteriori declaratione contrarium faciens, esset obligatus. Verba petitionis quæ ad rem pertinent, omisos alios, sunt ista. Sed permittat in omnibus & per omnia dictas electiones pure & recte fieri, & alias faciens, toties quoties id fecerit, pœnam viginti milium Moropetinarum monetæ illarum partium, quam dicto collegio integre, & etiam sine aliqua ejusdem pœnae postulatione, vel desuper requisitione, accusatione, probatione, vel iudicio non factis nec sequutis, solvere & satisfacere sit adstrictus, incurrat. At quicumque præmissorum conscientis, infra triiduum à die notitiæ, quod sciverit publice Rectori & Consiliariis ac Collegialibus pro tempore existentibus in altari Capella nuncupato ipsius collegii, sub simili pœna revelare, ac Rector & Collegiales pœnam eandem postquam de illius incurssione consilierit, infra alios octo dies sub excommunicationis latae sententiæ, eo ipso incurrenda pœna, & à qua non nisi à sanctitate vestra & Apostolica Sede, præterquam in mortis articulo possint absolvi, exequi teneantur, & qui executioni dictarum pœnarum contradixerit, excommunicatus eo ipso existat, & ut talis debeat evitari. Hæcenus verba petitionis. Cui petitioni ipse Pontifex Adrianus vir longe doctissimus respondit, prout moris est Pontifices respondere, Fiat, ut petitur. Per quæ verba actu Papa concessit, quod ab illis petitum erat. Nam illud verbum, fiat, quo Pontifices uti solent (ut Felinus annotavit in dicto cap. Rodolphus, num. 33.) non dicit promissionem in futurum, sed concessionem in præsentem, quia est præsentis imperativi modi. Ob quam causam ego non possum aliter sentire, nisi quod Collegiales aut Collegæ, qui in dicto collegio morantur, si contra illam Papæ concessionem fecerint, sint obligati in conscientia ad pœnas in illa contentas. Quoniam (ut in præcedenti cap. probatum est) Papa potest statuere legem obligantem in conscientia ad pœnam reddendam ante iudicis sententiam. At Papa non potuit apertius suam voluntatem ad hoc faciendum exprimere, quam dicendo, quod qui contra fecerint, etiam sine accusatione, & sine probatione, & sine ulla declaratione, essent obligati ad pœnam. Ergo cum tam aperte id Papa expresserit, consequens necessario est, ut illi juxta Bullæ tenorem sint in conscientia obligati. Quod si nimum spera alios viderit illa Papæ constitutio, & durum illis videtur se tam forti vinculo esse alligatos, ego illis velut amicis mihi clarissimis consulterem, ut ipsi à Papa peterent ejusdem Bullæ revocationem, ne forte id quod pro majori bono olim petitum est, in majus suarum conscientiarum damnum vertatur. Sed circa illa verba Bullæ prædictæ hoc annotare oportet, quod licet



quod est rationi consentanea. Sane aliqui viri in utroque jure peritissimi, qui (ut audio) sentiunt hoc verbum *valeat*, in quocumque tempore & modo, quamvis cum negatione universalis ponatur, semper dicere sententiam ferendam, nisi aliud illi addatur, quod convineat latam illic deberi sententiam. Et ad hoc dicendum, nullam aliam adducunt rationem, nisi illam, quam nunc proxime conduximus, quia videlicet in multis textibus post verbum *valeat*, adduntur alie dictiones, quae sine dubio latam inducunt sententiam. Hoc autem (ut dicunt) non fieret, nisi illa verba, nihil valeat, aut non valebit, per se sufficerent latam inducere sententiam. Quamvis momenti sit haec ratio, jam proxime supra ostendimus, & ideo non est opus repetere, ne actum agamus. Et certe ipsamet verba, si diligenter expendantur, & eorum significatio attente consideretur, statim cognoscetur illa non ferendam, sed latam indicare sententiam. Falsum enim esset dicere, quod nihil valeat, aut quod non valeat, aut quod nullatenus valeat id, ad quod tollendum necessaria est iudicis sententia. Aliquid certe, immo multum valeat, quod semper antequam iudex sententiam proferat, valorem retinet. Et ob hanc causam est viri illi in utroque jure doctissimi sint, qui contrarium docent, ego in hac parte illis acquiescere non possum. Praesertim quia questio haec de dictionibus experimentibus latam, aut ferendam sententiam, potius ad veros & perfectos Grammaticos, aut Dialecticos, qui veram dictionum significationem consequuntur, quam ad Jurisperitos spectat. Nam ipsosmet viros in jure doctissimos, cum de hac re differunt, video Grammaticos Auctores, & deinde Poetas & Oratores citare, ut illorum testimonio probent talem esse vim significationis in dictionibus, de quibus differunt, qualis oportebat esse in illis, ut ferendam, aut latam exprimerent sententiam. Ubi aliquid in jure definitum est, circa alicujus dictionis significationem, aut ex illis, quae alibi à jure definita sunt, aliquid aperte convinci potest, libentissime Jurisperitorum sententiam audiam, & illorum requiram consilium. Ubi autem jura nihil definitum, & rei de qua tractatur, notitia ex alia pender disciplina, justum est, ut Jurisperiti, etsi in sua re doctissimi sint, aliquid tamen à se putent esse alienum, & in negotio alieno illos, ad quos spectat, consulere non dedignentur. Cum igitur ex vera & propria significatione horum verborum, videlicet, non valeat, nihil valeat, nullatenus valeat, aperitissime constat, omnem prorsus valorem per illa excludi, nullo modo quis poterit mihi persuadere, quod per talia verba non exprimitur sententia lata, nisi apertam mihi ostenderet ex jure canonico, aut civili definitionem, quae decerneret illa verba non latam, sed ferendam sententiam, semper exprimere. Et idem per omnia dicendum est in verbo *agere*, si praecedat negatio universalis, aut aliquid aequipollens, sic dicendo: Nihil agit, aut nihil agit in futuro, aut frustra agit. Hoc enim aperitissime constat ex ipsa natura & proprietate negationis, quae (ut Dialectici ajunt) tam malignantis naturae est, ut quicquid post se invenerit, semper destruat, nec aliquid incolumem, aut intactum relinquat. Felinus in illo saepe citato capitulo Rodolphus, de Rescriptis, numero 32. citat Baldum in l. finali, ff. de Liberis & posthumis, dicentem iudicium fundatum in libello inepto, esse nullum, propterea quod in dicta l. dicitur, nihil agit. Et de hac dictione frustra, constat idem significare quod in vanum, & sine ullo effectu, aut valore: ex propria igitur illius significatione convincitur aperte illud adverbium latam exprimere sententiam. Et ideo Felinus

in dict. cap. Rodolphus, numero 30. dicit, quod iudicium criminale factum cum Procuratore, est ipso jure nullum: quia in l. pen. §. Ad crimen. ff. de Jurejur. ponitur hoc adverbium frustra. Idem prorsus cenfeo, dicendum esse de hoc verbo *teneat*, si illud praecedat negatio universalis, ut in praecedentibus diximus. Ex quo convincitur sententias latas contineri in textibus sequentibus. In cap. Ad audientiam, de appell. In cap. Si duobus, eodem titulo. In cap. Si motu proprio, de Praebend. lib. 6. Quo loco Dominicus de Sancto Geminiano, in penult. notabili dicit, impetrationem in casu illius cap. esse ipso jure nullam. Andreas Tiraq. in illis Commentariis super l. Si unquam, saepe citatis, refert quosdam Jurisperitos sentire de hoc verbo, quod non latam, sed ferendam denotet sententiam: & postea ad confirmandum illorum opinionem citat cap. Qualiter, de Elect. & cap. Dilecti, de Appell. in quibus duobus capitulis ponuntur haec verba, penitus non tenere. Et inde arguit, illas duas dictiones, videlicet *non tenere*, non plene exprimere sententiam latam. Quia inquit, si illae duae dictiones ad hoc plene efficiendum per se sufficerent, non opus fuisset addere illud adverbium *penitus*, sic dicendo: Penitus non tenere. Sed huic argumentationi praeter hoc quod jam bis respondi, aliter adhuc respondeo, illam esse manifesta ignorantia procedere, quia aperte ostendit se prorsus ignorare, quanta sit potestas hujus negationis *non*. Nam illa negatio *non*, non particulare, sed universaliter negat, etiam si post illam sequatur dictio aliqua particularitatem (ut ita dicam) significans. Et ob hanc causam Dialectici (ut proxime superius diximus) illam dicunt esse malignantis naturae, quia totum, quod post se invenit, destruit. Idem enim est dicere, non est aliquis homo in Ecclesia, ac si dicas, nullus homo est in Ecclesia. Illa enim dictio particularis, videlicet aliquis praecedente negatione fit universalis. Alioquin cum juxta Dialecticorum doctrinam non sit verus contradicere, quam toti propositionis negationem praepone, oportet necessario, ut haec duae contradictoriae simul sint aliquid quando verae. Est aliquis homo in Ecclesia, & non est aliquis homo in Ecclesia. Ne igitur rem tam absurdam concedamus, necessarium est fateri, dictionem illam particularem, aliquis, praecedente negatione transire in universalem, & valere tantum, quantum haec dictio universalis, nullus. Quae omnia ad hunc finem direxi, ut inde ostenderem, tantumdem valere, si dicas, contractus non tenet, aut non tenebit, ac si dicas, penitus non tenet, aut penitus non tenebit. Illud enim adverbium *penitus*, aut prorsus additum huic negationi *non*, nihil illam juvat, nec tantillum illius potestatem auget: quoniam illo sublato, ipsa se sola sufficit destruire quidquid post se invenit: sed additur ornatus castru, aut ad majorem rei expressionem. Et inde aperte convincitur, ut si haec verba, penitus non tenent, aut non tenebunt, expriment latam sententiam, etiam expriment latam sententiam, quamvis subtrahatur illa dictio *penitus*. Et ob hanc causam idem sine dubio erit dicendum in verbo *habeat*, & in verbo *obteneat*, & in quocumque simili alio verbo cuiuscumque temporis, si praecedat absoluta negatio. Et hinc, sicut ex multis aliis constat, Dialecticam multum juvare posse ad meliorem cuiuslibet alterius disciplinae cognitionem. Ad eundem modum dicendum esse cenfeo, de aliis negationibus quae derivantur ab illa negatione *non*, ut puta nullus, nullatenus, nullo modo: quia omnes istae negationes, eo quod ex prima illa componuntur, & illam, velut sui partem in se continent, similem per omnia habent potestatem, ut illa

Et

Et hinc evenit, ut cuiuscumque verbo cuiuscumque temporis jungantur, semper latam sententiam denotent. De sola hac dictione, *nullus*, hoc annotat glossa in cap. Innovit, de election. in verbo nullam esse. Quo loco dicit, quod licet verbum infinitivi temporis ex sua natura comprehendat omne tempus, & in dubio sit ferendae sententiae, ut cap. 1. hujus 2. lib. nos admonimus, tamen propter hanc negationem nullam, illi praepositam, dicit debere intelligi, ipso jure, & latam indicare sententiam. Quoties igitur lex aut constitutio aliqua dicit haec aut similia verba, contractus sit nullus, sententia sit nulla, electio sit nulla, matrimonium erit nullum, nullas vires habeat, semper in his omnibus, & in aliis similibus lata intelligitur sententia. Et idem prorsus dicendum erit de aliis dictionibus similibus, videlicet nullatenus, nullo modo. De hac dictione, nullo modo, notat glossa in Clementina 2. de aetate & qualitate, illam tantae potestatis esse, ut omnem dispositionem tollat, circa rem quae per illam prohibetur. Et Archidiaconus in cap. Quoniam, de immunit. Ecclesiarum, lib. 6. hoc idem dicit de hac dictione nullatenus. Cum his omnibus dictionibus jam enumeratis possunt etiam adungi dictiones illae, quae expriment privationem potestatis ad rem aliquam faciendum, aut recipiendum. Nam quum auferitur potestas, eo ipso declaratur irritum esse & inane id, quod ablata potestate fuerit factum. Ut si, gratia exempli, lex aut constitutio dicat: Qui tale aut tale crimen commiserit, non poterit votum suum alicui praestare in electione aliqua, aut non poterit eligi, aut non poterit condere testamentum, aut non poterit haeres institui: in his omnibus, & aliis similibus verbis exprimitur lata sententia, & declaratur ipso jure esse nullum, si quid contra legis edictum fuerit attentatum. Quia (ut dicitur de regulis juris lib. 6.) quae contra jus sunt, debent utique pro infectis haberi. De hac re haec mihi occurrunt exempla, in cap. Excommunicamus 1. §. Credientes, de haereticis, ubi haec verba habentur: Sit inestabilis, hoc est, non possit condere testamentum. Alterum exemplum est in cap. Quisquis, de electione. Ubi in poenam illius, qui contra canonicam libertatem per secularis potestatis abusum procuravit eligi, dicitur: Ineligibilis fiat, hoc est, non possit eligi. Et in cap. Felicis, de penis, lib. 6. dicitur: Sit inestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem. In his omnibus sententia exprimitur lata, quia per verba illa tollitur potestas ad faciendum aliquid illorum, quae ibi declarantur. Nam verbalia nomina in libis definita, saepe solent significare potentiam ad agendum aut patiendum. Visibile enim dicitur id, quod videri potest, & homo dicitur risibilis, quia potentiam habet, aut aptitudinem ad ridendum. Eodem modo inestabilis hic dicitur, qui testari non potest. Si quis illorum, de quibus statutum illud loquitur, testamentum conderet, ipso jure esset nullum: propter id quod illic dicitur, sit inestabilis. Si quis etiam contra statutum illius dicit cap. Quisquis delinquens eligetur ad aliquam dignitatem, electio esset ipso jure nulla, propter id quod ait: Ineligibilis fiat. Glossa tamen haec verba non considerans, ex aliis verbis illius cap. nititur probare in eo contineri sententiam latam. Haecenus enumeravimus dictiones, per quas declaratur, irritum esse & inane id, quod contra legem factum fuerit. De his omnibus dictionibus, & aliis similibus, si quae forte sunt, dico illas sententiam latam exprimere, & per consequens obligare in conscientia legis transgressorem ad poenam in lege statutam etiam ante iudicis sententiam, nisi forte lex

ipsa contrarium expressisset. A  
Circum has omnes dictiones hoc universaliter annotare oportet, illas semper ex sua natura latam indicare sententiam, etiam post illas sequatur verbum futuri temporis, quod alibi ex sua natura (ut cap. 1. hujus secundi libri diximus) solet non latam, sed ferendam prope semper exprimere sententiam. Circa illas etiam dictiones, quae indicant opus contra legem factum, irritum esse & inane, propter omissionem alicujus rei in lege statuta, duo notatu digna annotat Andreas Tiraquellus in Commentariis super leg. Si unquam, C. de revocandis donationibus, in expositione hujus verbi, *revertatur*, num. 59. Quas duas annotationes (ut suum cuique honorem tribuam) volo verbis illis, nullo prorsus mutato imperfectionum referre. B  
Hoc tamen intellige, inquit Tiraquellus, nisi hujusmodi solemnitas, quae omissa est, suppleatur in lege: tunc enim ipso omissione nunquam reddit actum nullum. Alias ea suppletio esset supervacanea. I. His verbis, cum lege sequente, & quod ibi tradit Baldus in 1. lectura, vers. Item nota quod aliquid, ff. de adopt. & l. prima in principio. C. de rei uxoriae actione, & expresse etiam voluit Fran. Aret. in cap. Super his, col. quarto versiculo, pro ista opinione facit, extra de accusationibus. Intellige secundo in solemnitate formali, ut jam diximus, quae videlicet debet intervenire in ipso actu, secus in alia solemnitate, quae post actum intervenire potest. Nam tunc illius omissione non vitiat ipso jure, etiam si apponatur ea verba, alias non valeat. Ut voluit Bartholus in dicta leg. Universalis, & ibi etiam Baldus, & Rapha. & recentiores. C. de precibus Imperatori offerendis, & Barthulus in leg. prima col. ult. in principio, ff. de testamentis. Haecenus Andreas Tiraquellus. Et de his satis me dixisse arbitror, & plus forte, quam ad virum Theologum pertinebat. D  
Sexto cognosci potest, legem aliquam continere sententiam latam, si in ea ponatur alicuius dictio, quae omnem dilationem & omne temporis spatium excludat ad poenam executionem. Tales sunt omnes istae dictiones sequentes, videlicet, statim, confestim, ex tunc, continuo post, incontinenti, sine mora, illico, protinus, exemplo, evestigio, repente, subito, mox. Omnes istae dictiones, ut ex propria illarum significatione aperitissime constat, rejiciunt omne temporis spatium: & inde convincitur eas omnes latam exprimere sententiam, nec esse necessariam aliam iudicis sententiam ad poenam executionem. Quia ad hoc ut iudex sententiam juste proferat, multa requiruntur, ut puta, reum citare, illum audire, testes examinare, & alia facere, ad quae perficienda necesse est non modicum temporis spatium praeterire. Cum igitur dictiones illic omne temporis spatium excludant, ex illis aperte convincitur leges illas, quae talibus dictionibus ad poenam executionem utuntur, sententiam latam in se continere, nec esse necessariam iudicis sententiam ad ejusdem poenam executionem. E  
Et hoc semper erit verum, etiam post tales dictiones sequatur verbum futuri temporis, quod ex sua natura (ut alias diximus) non latam, sed ferendam solet indicare sententiam. Quoniam etsi tempore futuro denotetur esse faciendam poenam executionem, tamen quia sine ullo temporis intervallo indicatur esse factam, eo ipso declaratur sine iudicis sententia, talem poenam fore executioni mandandam. De illis igitur omnibus oportet sigillatim differere, & satis erit illarum potestatem exemplis aliquibus demonstrare: quoniam omnium illarum praeterquam unius significatio est aperta & manifesta, de qua inter omnes convenit. De hac dictione, statim, quae sententiam

Tom. II.

Vvvv

in.



indicat latam, prater id quod ex sua significatione cognoscitur, probatur aperissime per cap. Litteras, de concessionis praebandae, ubi questionem proponens, haec verba ait: Utrum cum aliquis de una praebenda eligatur ad aliam, statim prior vacare incipiat, an per sententiam debeat adjudicari. Haec in textu. Ex quibus constat, haec duo, videlicet statim, & per sententiam, tamquam opposita, quae idem convenire non possunt, in iure censi: & inde aperissime colligitur, hanc dictionem, statim, denotare sententiam latam. Quoniam alias non distingueretur ex opposito, ab eo quod est per sententiam. Et hinc convincitur, ut de aliis supra positus, & aliis similibus dictionibus, quae omne temporis intervallum excludunt, idem profus dicendum sit: quoniam omnes illae, prater unam de qua ultimo dicemus, idem omnino significant. Si quis ergo de omnibus exempla in iure videre capit, libenter illi aliqua ex tam multis pauca proferam, ut ad illorum instar facile de aliis similibus judicare possit. Per significationem hujus vocis, statim, convincitur, textus sequentes latam continere sententiam. Cap. Si diligenti, de for. compet. cap. ult. de praescriptionibus. Cap. Quam sit, de elect. lib. 6. Cap. 1. de vita & honestate Clericorum, eodem lib. Cap. Si pater, de testamentis, eodem lib. Cap. 2. §. Inhibemus, de haereticis, eodem lib. Cap. Cum excommunicatio 11. q. 3. Haec dicitio, ex tunc, etiam excludit omnem dilationem, & omne temporis intervallum. Nam si post crimen commissum expectanda esset sententia, non igitur ex tunc, id est, a commisso crimine incidere in poenam legis: & inde constat in sequentibus capitulis contineri sententiam latam. In cap. Excommunicamus, §. Credentes, de haereticis. In cap. Cupientes, §. Ceterum, & in cap. Cum ex eo, de electione, lib. 6. In Extravaganti, Suscepit regiminis, & in Extravaganti, Execrabilis, §. Qui vero deinceps. De his dictionibus, confestim, ilico, incontinenti, protinus, cum nullus mihi in iure canonico textus occurrisset, & male illas in iure civili, in quo parum versatus eram, quaerere potuissem, consului viros in utroque iure doctissimos, qui sequentes mihi pro his omnibus obtulerunt leges. Haec dicitio, confestim, exprimit sententiam latam in leg. Placet, ff. de acquirenda hereditate: & 1. Amisi, §. Fidei iudicatos, ff. de fidei iudicibus. Authentica, Incestus, C. de incestis nupt. Et ibi Bartholus quaerens an bona confiscantur ipso iure, an per sententiam, respondet quod ipso iure: quia ponitur haec dicitio, confestim. De hac etiam dictione, ilico, in leg. ult. C. de fidei commissariis libertatibus, haec verba habentur: Confestim ilico ad libertatem capi servum. Quod autem praedicta verba sententiam proferant latam, sequentia verba demonstrant, quae sunt haec: Et liberum esse. In leg. ult. C. de iudiciis, declaratur haec dicitio, ilico, per hoc quod est sine ulla dilatione. Et Bartholus in leg. Si quis, C. depositi, dicit hanc dictionem habere executionem paratam, ut sem judicatum, nec requirit aliam condemnationem. Et idem dicit ipse Bartholus de hac dictione, incontinenti, in leg. Imperator, ff. de iure fisci. Et Baldus in leg. Lecta, in fine 2. lect. ff. si certum petatur, dicit, quod haec dicitio, incontinenti, trahit secum executionem juris. Hanc dictionem, protinus, declarat per hanc dictionem semel Laurentius Valla, lib. 2. Elegantiarum, cap. 30. Ambrosius Calepinus inter multas, quas huic dictioni tribuit, significationes, unam ex illis dicit esse, statim sine intermissione. Pro quo adducit Virgilium lib. 4. Aeneidos dicentem: Protinus ad Regem cursum detorquet Hiarbas. Sed multo aperius exprimit hujus vocis significa-

tionem leges, quas mihi Jurisperiti pro hac re indicaverunt. Nam in leg. In illa stipulatione, si kalendis, ff. de verbis obligat. quod prius per, statim dixerat, idem ilico, per protinus declarat. Et in leg. Lucius Titius, §. Cato, ff. ad S. C. Trebell. & converso, quod prius per protinus quaesierat, id per statim responderet. In leg. Non abs re, C. Unde vi, dicitur protinus, id est, non expectato iudiciorum ordine. Haec dicitio, continuo, latam denotat sententiam in cap. Ceterum, de rescriptis; & in l. ff. pro socio, & in leg. Apud Ausidium, ff. de optione legata. Et merito hanc potestatem illi dictioni iura tribuerunt: quia illa omnem proferus tollit moram, ut constat ex Virgilio, qui lib. 4. Georgicorum haec ait: Haud mora continuo matris praecpta faciesit. Et lib. 5. Aeneidos iterum ait: Nec mora continuo vastis eum viribus effere, ora Dares. Haec dictione, evestigio, usus est Summus Pontifex Bonifacius octavus in cap. 1. §. Verum, de statu Regularium, lib. 6. ubi glossa bene vim vocabuli intelligens, exponit per alias dictiones, videlicet, statim, continuo. Accursus tamen ejusdem dictionis significationem male agnoscens in leg. Divortio, ff. de negotiis gestis, exponit in principio gestions. Et certe si verba, quae statim in illa lege ponuntur, bene advertisset, facile cognovisset illam dictionem, evestigio, aliud multo diversum significare. Non enim evestigio, inquit Scévola Jurisconsultus in illa lege, in officio deliquit, si non protinus res suas diraxit ad pecuniam redigendam. Ex quo verborum contextu facile potuit intelligere, idem significari per hanc dictionem evestigio, quod per sequentem dictionem, protinus, exprimitur: quae dicitio (ut jam diximus) idem significat, quod statim. Eandem cum ceteris significationem habet haec dicitio incunctanter. Nam ejus contraria dicitio significat, cum mora: & inde est, quod illi opposita dicitio, incunctanter, ratione praeposita negationis, significat sine mora. Haec dictione saepe uti sunt summi Pontifices in decretis, videlicet in cap. 1. de his quae sunt a majori parte capituli: & in cap. Quemadmodum, de iurejurando: in cap. Referente, de praebendis: & in cap. ult. de schismaticis: & in cap. Cum quis, de sentent. excommunic. lib. 6. Est adhuc praeter has omnes alia dicitio non pure latina, videlicet, indilate, qua usus est summus Pontifex in cap. Ut inquisitionis, de haereticis lib. 6. nec memini me alibi in iure canonico eam legisse. Quam autem Pontifex voluerit per illam exprimere, alia si sententiam illi conjungit, dicitio satis aperte declarat. Nam continuo post hanc dictionem, statim, adjecit ad majorem rei confirmationem, indilate, hoc est, sine ulla dilatione. Idem profus dicendum erit de hac dictione immediate, si alicubi in iure inveniantur. Nam sicut praecedens dicitio excludit omnem dilationem, ita haec rejicit omne medium. De hac dictione, etsi nesciam an aliquando in iure habeatur, credo tamen in iure civili, eo quod multo puriori sermone latino conditum sit, quam jus canonicum, nec illam, nec praecedentem inveniri, propterea quod ambae barbarae sunt: & quarum nullum apud veteres & veros Latinos reperitur vestigium. Singula quaeque istarum dictionum in hoc sexto §. numeratarum, latam indicant sententiam, propterea quod illarum quaelibet omne temporis intervallum rejicit: & nullam profus moram admittit. Nam si sententia ferenda a Iudice exprimeretur, non posset illi omnis mora excludi, cum certum sit, non parvam moram esse necessariam, ut debitus iudiciali processus recte dirigatur, qui semper est summe necessarius, ut Iudex possit iustam ferre sententiam. Una tamen sola dicitio, quae eandem cum ceteris

videtur habere significationem, superest discutienda, propterea quod non inter omnes de illius significatione convenit, & forte major illorum pars non bene de illa sentit. Felinus in dicto cap. Rudolphus, de rescriptis, num. 33. dicit hanc dictionem, mox, latam sententiam significare: & citat Baldum idem dicentem in leg. Jubemus, leg. 2. §. Sane, C. de sacrosanctis Ecclesiis. Andreas Tiraquellus in opere illo jam saepe citato, eandem tueretur sententiam, & postquam recensuit plurimos alios usque ad fastidium, qui huic sententiae favent, tandem dicit, se non reperisse quempiam, qui hoc negaret, praeter Simonem quemdam Columb. apud Agidium Bellamer consilio nono. Qui Simon (ut ille refert) censuit, hanc dictionem habere spatium temporis, quandoque quinque dierum, quandoque unius anni, quandoque aliorum temporum. Pro qua sententia dicit, illum multa iura citare: & ipse Tiraquellus admonet lectorem, ut videat glossam optimam in capite primo, 20. questionum 2. & glossam in cap. Quia propter de elect. His tamen omnibus non obstantibus, dicit idem Tiraquellus, quod licet haec dicitio mox, variis modis sumatur secundum subjectum argumentum, ejus tamen propria ac genuina vis & natura est, ut accipiat pro confestim & sine intervallo. Pro qua re citat praedictam glossam in praedicto cap. Quia propter, & Bartholum, & Salicetum in leg. 1. ff. Si certum petatur. Sed certe non possum non mirari, quod vir doctus, & (ut ex illius scriptis conjicere possum) optime intelligens, a quibus Auctoribus proprietas latini sermonis sumenda sit, & quibus testimonis comprobanda, ad probandam veram & propriam hujus vocis significationem, protulerit Bartholum, Salicetum, & Baldum. Quoniam etsi illi fuerant in utroque iure doctissimi, in puritate tamen & proprietate latini sermonis constat illos parum profecisse, & minimam gloriam in illa re assequutos fuisse. Proinde cum res haec ad Grammaticos (ut diximus) spectet, ab illis eam discere oportebat, & testimonio probatorum Oratorum & Poetarum illam comprobare. Ambrosius Calepinus in suo Dictionario, declarans hujus vocis significationem, dicit hanc vocem aliquando significare idem, quod haec dicitio statim. Pro qua re adducit testimonium ex Terentio in Phormione, sic dicente: Exspecto quam mox veniat. Sed eest hoc Terentii testimonium nihil illius sententiae suffragatur: quoniam ille non dixit, Exspecto ut mox veniat, sed dixit, Exspecto ut quam mox veniat: Illa enim conjunctio quam, solet significare argumentum illius rei, cui additur, & valet idem quod valde, aut multum. Ut si dicas, quam celeriter, idem est ac si diceris, valde celeriter, aut celerrime. Quam cito, idem significat, quod celerrime. Et inde aperte constat, has duas voces, quam mox, plus aliquid significare, quam sola haec vox mox. Dicit etiam Calepinus, hanc vocem aliquando significare paulo post, vel postea. Et pro hac sententia citat Ciceronem lib. 11. de Oratore sic dicentem: Verum illa mox, nihil de ipsa exercitatione quid sentias, quaerimus. Erasmus Roterdamus vir de lingua Latina optime meritus, & Ambrosio Calepino haec in re multo doctior, in annotationibus super Mattheum, irritat eos, qui putant hoc adverbium mox, continuam sine ulla medio temporis successorem, & dicit illud significare postquam, futurationem etiam cum magno temporis aut loci intervallo. Pro qua re, etsi ille nullam citet testimonium, ego tamen, quia illius sententiae subscribere statui, ut illam certiore redderem, aliqua ex Cicerone testimonia proferre decevi. Lib. 7. de Divinatione, sic ait: Discedo parumper a somniis, ad

quae mox revertar. Quo loco constat, hoc adverbium mox, significare postea. In quadam Epistola ad Articum ait: Praerent villam meam Chiro, jussitque mihi nuntiarum se mox venturum. Ex quo verborum ordine aperte convincitur, illud adverbium significare postea futurum cum aliquo temporis intervallo. Nam qui villam praerent, aliquo temporis intervallo indigebat, ut ad illam redire posset. Cum igitur propria hujus adverbii significatio non excludat omnem moram, aut omne temporis intervallum, convincitur inde, adverbium illud non manifestare sententiam latam, veramque esse sententiam illius Simonis, quem Andreas Tiraquellus reprehendit. In manus hujus, in manu hujus. Septimo cognoscitur, legem aliquam sive constitutionem continere sententiam latam, si illa utatur verbis, quae nullum hominis ministerium expriment, nullamque hominis actionem declarant. Nam si verbum illud, per quod poene inflicti exprimitur in lege, nullum declarat hominis ministerium, inde aperte convincitur, legislatorem voluisse, ut ministerium hominis non esset necessarium ad talis poenae executionem, sed solum legem esse satis ad talem poenam infligendam absque aliqua alia Iudicis sententia. Et quia talis est hujusmodi verborum natura, ideo in quocumque tempore etiam in futuro reponatur, semper latam indicant sententiam, nisi aliud contingat, quod cogat de sententia ferenda illud interpretari. Hanc naturam habet verbum substantivum, videlicet, sum, es, fui. Nam hoc verbum in quocumque modo, & quocumque tempore constituatur, nullam actionem, nullamque passionem significat, sed solum rei, cui adiungitur, existentiam. Et hinc evenit, ut in quocumque tempore illud ponatur, semper sententiam latam demonstrat, nisi forte aliud addatur illi, quod vertat illud in significationem ferendae sententiae. Ut, gratia exempli, si lex aut statutum dicat: Qui hoc fecerit, erit excommunicandus aut suspendendus, aut suis bonis privandus: In his omnibus sententia exprimitur ferenda, ratione participii sequentis, quod ministerium hominis exprimit in futuro faciendum. Nam (ut refert Aulus Gellius in octavo Artificis ex sententia Nigidii vetustissimi Grammatici) verbum esse, atque erit, quando per se ponuntur, tamen tempus suum: quando vero praeterito aut futuro junguntur, vim suam amittunt, & in aliud tendunt. Quae Nigidii doctrina confirmari potest per id quod Jurisconsultus scribit in lege, verbum erit, ff. de verborum significatione. Nisi ergo ratione alicujus adjuncti futuram actionem exprimat, latam sententiam semper indicabit. Si igitur lex dicat: Qui hoc fecerit, erit infamis: ego non sententiam ferendam, sed latam illi indicari censo, propterea quod nulla illi habetur dicitio, quae aliquid hominis ministerium declarat: neque ulla est dicitio, quae ad Iudicem possit referri, indicans aliquid per illum esse faciendum. Hanc etiam naturam habet hoc verbum subjunctio, quoniam illi indicat, quod per alium exerceri debeat. Et ideo licet aliqui Jurisperiti de illo dubitent, aut contrarium sentiant, ego tamen constanter teneo illud, etiam in futuro tempore ponatur, latam sententiam declarare. Quia in cap. Si quis suadente diabolo, 17. q. 4. solum illud verbum subjunctio, ponitur, quod de se solo latam possit significare sententiam. At quod canon illius capituli sententiam continet latam, quoniam calculus est comprobatum, & probatur aperte per capitulum, Quod translatio nem, de officio legati: & capite ultimo de officio Iudicis ordinarii: & per cap. Non dubium, & cap. In audientia: & cap. Relatum, de sententia excommunicationis. Nam